

Esame di ammissione alla Scuola Superiore dell'Università di Udine

Prova di Lingua latina (5/9/2025)

Ira, ut diximus, avida poenae est, cuius cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori minime secundum eius naturam est. (...) “Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria est?” Quidni? sed haec sine ira, cum ratione; non enim nocet sed medetur specie nocendi. (...) Nempe medicus primo in levibus vitiis temptat non multum ex cotidiana consuetudine inflectere et cibis potionibus exercitationibus ordinem imponere ac valetudinem tantum mutata vitae dispositione firmare. Proximum est ut modus proficiat. Si modus et ordo non proficit, subducit aliqua et circumcidit; si ne ad hoc quidem respondet, interdicit cibis et abstinentia corpus exonerat; si frustra molliora cesserunt, ferit venam membrisque, si adhaerentia nocent et morbum diffundunt, manus adfert; nec ulla dura videtur curatio cuius salutaris effectus est. Ita legum praesidem civitatisque rectorem decet, quam diu potest, verbis mollioribus ingenia curare, ut facienda suadeat cupiditatemque honesti conciliet animis faciatque vitiorum odium, pretium virtutum; transeat deinde ad tristiores orationem, qua moneat adhuc et exprobret; novissime ad poenas et has adhuc leves, revocabiles decurrat; ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi quibus vitam non potuerunt largiri facilem exitum praestant, hic damnatos cum dedecore et traductione vita exigit, non quia delectetur ullius poena – procul est enim a sapiente tam inhumana feritas – sed ut documentum omnium sint, et quia vivi noluerunt prodesse, morte eorum res publica utatur.

Seneca, *De ira* 1,5,3-6,4

P7